



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiæ & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu  
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

**Comitin, César Jean-Baptiste**

**Coloniæ, 1709**

§.3. Immortalem ad mortem deposit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](#)

Deum, ô vermis! ô pulvis! ô nihil! Quare,  
quare locum, ubi te non videat, & fac quod  
vis. (Augustinus.) sed non invenies, nam &  
ardente lucernâ videt te; videt & extinctâ.  
dönique vivis intra Deum.

§. 3. *Immortalē ad mortem depositit.*

Impudentem vidisti, cognosce impium.  
Parum est, in oculis fecisse divinis: novum  
scelus molitur, parricidium Dei. Immorta-  
lem ad mortem exitiūmque depositit; &  
novus hic Herodes perditum cupit non in-  
fantem in stabulo, sed regnante in cælo.  
Non placet sceptrum & potestas in vindice.  
Exturbetur à solio, si potest: sed non  
potest; furit tamen, odit nimirūm potentem,  
arcet procul ab animo, quantum in se est  
extinguit, dum charitatem in se interficit; in  
quam, tanquam in divinam imaginem, (quia  
corpus lædi nequit) exasperata tigris inso-  
lescit. Non sum ego qui hæc dico. *In ipsum*  
(*horribile dictu*] desavire rectorem & autho-  
rem, ait Bernardus. (Serm. 3 de Resurrect.)  
Nam, quantum in ipsa est, ipsum Deum pe-  
rimit voluntas propria. Omnino enim vellet,  
Deum peccata sua aut vindicare non posse  
aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo, Deum non  
esse Deum, &c. Crudelis plane & execrandus  
mali-

*malitia, quæ Dei potentiam, sapientiam, justitiam perire desiderat.*

*§. 4. Beneficium offendit.*

Est quidem hoc, quod dixi, immane; id ipsum tamen longè horribilis accidit propter immensam, quā dilexit nos Deus, charitatem. Quem enim odimus? nonnē optimum parentem? à quo victum, vestitum, auramque vitalem accepimus. Circumspice te; à capite ad calcem donum Dei es. quot in te pili, tot ejus curæ. quot momenta numeras, tot beneficia usurpas. Te matri in utero, te tibi tot annis dedit, datque toties, quoties respiras. Ecce nunc cùm hæc legis, imò cùm peccas, (ô incredibile dictu!) ab ipso pendes protegente, conservante, suis manibus sustinente. Si te ista nutrix vel latum ungvem desereret, quid te fieret? & tu in ipsa beneficij usura mammam mordes lantem. Mordes? exulceras, dilanias, dentibus, manibus, pedibus petis, tuis telis, suis donis. Deum Deo impingis, & sibi ipsum occurrere vel in offensa facis. Quid hīc dicam? hostem te putem? filius es. Mulum calcitrantem? homo es. An furiosum? sanus es. Exclamabo: O filium hostem? ô hominem fēruim! ô sanum insanum! cuius fides